

κατοικεῖν αὐτοὺς, vt finem & creationis mundi & beneficia, ob quae accipienda Deus homines creauit, indicet.

§. XVI.

Locus, quo homines habitare debent verbis indicatur: ἐπι-παν προσωπον της γης. Terra mundi partem, quam nos inhabitamus, significat, quae pars est του κοσμου V. 24. vbi de toto operum a Deo factorum ambitu sermo est, & in eodem, vt & in nostro commate contradistinguitur terra mundo, vnde terra tantum de globo terrestri hic assumi potest. Huc accedit, quod de iis tantum loquatur auctor sermonis, qui ab unico *Adamo* essent prognati, & non de omnibus rebus a Deo productis. Male igitur a quibusdam putatur, opponere haec voluisse *Paulum Epicuræis* plura corpora totalia inhabitata a rebus creatis ratione praeditis credentibus. Ipsi enim cum incolis terrae, nec planetarum aliorum res erat. προσωπον hic respondet hebraeae voci פְּנֵי *facies*, quae quoque significat superficiem f. superiorem alicuius rei extensionem, vnde & graeca vox nihil aliud significat quam externam terrae partem superficiemque. Hebraeis quoque eadem locutio על פְּנֵי הָאָרֶץ admodum frequens est, adeoque inter N. T. hebraismos referenda erit. Vnde vtitur hac locutione *Paulus*, quia superficies tantum habitationi hominum erat aptata, atque dum addit παν, innuit nullam esse superficiem terrae partem, quae non hominum vsui inferuire debeat, ac licet tanta sit hominum ab *Adamo* prognatorum multitudo, vt numerus eorum computari vix possit, locum tamen habitationis ipsis non defuturum esse.

§. XVII.